DE

FUNGO MEDULLARI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA.

SCRIPSIT

VOLKMARUS BERNHARDUS TRINIUS.

GRYPHIAE,

TYPIS FRIDERICI HACHE.

MDCCCLIII.

DE

FUNGO MEDULLARI,

ADJECTA HISTORIA MORBI.

DISSERTAIO

INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE III. MENSIS OCTOBRIS ANNI

MDCCCLIII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

VOLKMARUS BERNHARDUS TRINIUS,

SAXO - BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

J. BERGER, CAND. MED.

O. BEYERSDORFF, CAND. MED.

F. SOMMER, CAND. MED.

GRYPHIAE,

TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARENTIBUS

CARISSIMIS OPTIMIS

ET

AVUNCULO DILECTISSIMO

GUSTAVO BERNHARDO TRINIO,

VERBI DIVINI MINISTRO,

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

GRATI ANIMI DOCUMENTUM

AFFERT

AUCTOR.

Literatura.

Johannes Müller, über den feinern Bau der krankhaften Geschwülste. 1838.

Johannes Müller's Archiv für Anatomie und Physiologie. 1843.

Lebert, Abhandlungen aus der praktischen Chirurgie. 1848.

Gerlach, Der Zottenkrebs und das Osteoid.

Abernethy, Surgical observations on tumours. Langenbeck's Bibliothek. Bd. I.

Chelius, Handbuch der Chirurgie. 1841.

Bardeleben, Deutsche Bearbeitung von Vidal's Chirurgie und Operationslehre. 1852. Bd. 1.

J. F. Meckel, Pathologische Anatomie. 1818.

Aug. Foerster, Pathologische Anatomie. Jena 1850.
J. Vogel, Pathologische Anatomie. 1845.
Rokitansky, Pathologische Anatomie.
Bock, Pathologische Anatomie. 1847.
Burns, Dissertions on inflammations. London 1800. Vol. 1 et 2.
Hey, Practical observations in surgery. London 1803. Auszug in Langenbecks Bibliothek für Chirurgie. Bd. 1. 1807.

§. 1.

Carcinoma utrum morbus localis sit, an ex morbo quodam sanguinis peculiari pendeat, quem dicunt diathesin carcinomatosam, auctores valde inter sese dissentiunt. Sic Rust, Chelius, E. de Siebold, Meissner, Jörg Benedict, Fischer, alii, carcinoma nunquam esse morbum localem contendunt; contra alii auctores dicunt, carcinoma primo quidem morbum esse localem, postea autem ichoris carcinomatosi resorptione totum corpus infici; etiam nonnulli veluti Graefe, Maunoir, Horn, alii, hunc morbum modo localem, modo in peculiari illa sanguinis conditione positum esse affirmant. Joh. Müller vero omnes illos tumores in universum appellat carcinomatosos, qui structuram omnium telarum normalem destruant, qui vel ab initio ex constitutione peculiari oriantur vel per decursum evolutionis illam constitutionem procreent, denique qui constitutionales redditi, post extirpationem semper redeant laborantibusque vel breviore vel longiore temporis spatio letales sint. — His sententiis jam allatis videmus, nihil fere certi adhuc constare; estque sane haec res tam recondita, ut equidem quid statuendum sit, decernere non possim. Opinari tamen licet, quamvis quaedam dyscrasia saepius jam ab initio

adsit, non deesse tamen etiam ejusmodi carcinomate; quae certe primo sint localia, deinde vero illam producere possint dyscrasiam. De singulis autem carcinomatis, qualia sint, statuere in hoc disciplinae statu aeque frustra coneris, ac si eorum vel dyscrasiae naturam velis detegere.

§. 2.

Tumores carcinomatosi in universum constant ex stromate atque ex cellulis quibusdam; stroma et cellulae digito compressae serum quoddam sive lac cancrosum secernunt. — Hoc quidem Stroma ex tela cellulosa modo exculta, modo recente atque immatura conformatum et nucleos, et nucleolos rotundos et cellulas fibrosas continet, quas fusiformes vel corpora caudata dictas, nonnulli auctores carcinomati solas esse peculiares affirmarunt. Illius autem opinionis levitatem nostro tempore plane confutarunt Joh. Mueller, Virchow, alii, qui docent, corpora illa caudata non solum in tumoribus carcinomatosis inesse, verum etiam in omnibus neoplasmatis, quae conformentur ex tela cellulosa.

Porro in stromate nobis obveniunt fibrae, modo fibrosarum, modo cellulosarum telarum, modo musculorum organicorum fibris consimiles, quae acido acetico adjecto pallidae fiunt; ita ut interdum non nisi nuclei discerni possint; non raro elasticae quoque telae animadvertuntur, quae acido acetico etiam manifestiores redduntur. Atque fibrae hae alveolos sic dictos plus minusve conformant, qui aut intervallis sunt disjuncti aut ramificationibus anastomosibusve inter sese conjunguntur; etiam fibrae quasi radii a centro tumoris ad peripheriam vergentes saepenumero in conspe-

ctum veniunt. Cellulae tum in omnibus carcinomatum speciebus inveniri videntur, tamen neque formam neque copiam eandem exhibent. Sunt enim carcinomata, quae magnum cellularum numerum suapte natura teneant, ut ex illis omnino composita esse videantur; alia autem paucis tantum cellulis sunt praedita. Forma deinde cellularum vel statim ab initio vel pro aetate evolutionis saepius variat.

§. 3.

In stroma carcinomatosum intrant vasa sanguifera, quae, auctore Vogel, praecipue inter telas fibrosas, perraro, fortasse nunquam, inter cellulas oriri dicuntur. Histologi nonnulli velut Bérard, Schroeder van der Kolk, alii contendunt, arterias tantum in carcinomate inesse, minime venas; alii autem velut Gerlach, Virchow, J. Mueller et arterias et venas observarunt easque sese persaepe injecisse affirmant. Lebert hujus rei copiosius mentionem faciens dicit haec: Es ist sehr wohl möglich, dass im Anfange der Krebsgeschwülste eine venösarterielle Circulation stattfindet; dass aber stets mehr Ernährungsstoff zu diesen Geschwülsten geführt, als Substanz aus den Venen zurückgeleitet wird, beweist ihr schnelles Wachsthum. Nun kann recht wohl ein Zeitpunkt eintreten, dass die immer mehr sich ausdehnenden Geschwülste dem regelmässigen Kreislauf bedeutende Hindernisse bieten. Wird nun der Kreislauf immer schwieriger, so ist es natürlich, dass der Blutabfluss, die venöse Bahn, leichter unterbrochen wird, als die von der Druckkraft des Herzens und der Contraktilität der Arterien einen viel stärkeren Impuls erhaltende arterielle Bahn. So kann es wohl dahin kom-

men, dass die Venen fast ganz veröden und die Arterien sich erhalten. Hiermit hängt denn dass zuweilen vorkommende Brandigwerden der Krebsgeschwülste und die so häufig eintretende Verschwärung derselben wahrscheinlich zusammen. Et hujus auctoris sententiae, jam paullo ante positae, novissimo tempore autores peritiores omnino assentiuntur multisque experimentis hanc rem esse veram demonstrarunt.

Quod spectat ad vasa lymphatica recentia Rokitansky tantum commemorat, illa demonstrata esse a Schroeder van der Kolk.

§. 4.

Per analysin chemicam ad hoc tempus nihil quidquam quod carcinomati proprium sit, nobis occurrit. Müller pleraque omnia e materia albuminosa constare opinatur. Neque tamen albumen, quod proprie dicitur, continent, sed materiam illam, cui Mulder primus nomen corporum proteinosorum imposuit; fibrinam enim multis inesse compertum habemus. Nonnulli quoque chemici, Hecht, Wiggers, Morin alii gluten interesse illis affirmant. Joh. Mueller vero hanc substantiam, quamvis ipse in carcinomate reticulari invenerit, rarissime reperiri et fortuito a tela conjunctiva nondum morbo deleta admixtam existimat; atque porro caseïnam in carcinomate mammae atque in carcinomate medullari renum constanter invenit. Varia quoque adipum genera in carcinomatis gigni prorsus verisimile est, licet unus Th. Williams sese ea nunquam reperisse in iis perhibeat. Adde his, quae etiam aliis in exsudatis plasticis insunt, velut aquam, salia, materiam extractam, alia.

§. 5.

Postquam haec de re universa praemissa sunt, de divisione carcinomatum jam dicendum. Divisio enim ab aliis auctoribus aliter instituitur. Sed facillime fit divisio si in carcinomatis vel cellulae vel fibrae praevalent. Carcinomata tamen hunc in modum conformata rarissima plurimaque generi medio addenda sunt.

Duo genera carcinomatum Carswell distinguens nominat scirrhoma et encephaloma, quorum illud omnino non, hoc autem vehementer organisationem appetat. Meckel, Abernethy, Alibert secundum formam externam sex instituunt classes: cancrum fungoidem, terebrantem, eburneum, anthracineum, globosum, tuberosum. Nostro autem tempore auctores et normalium et pathologicarum telarum notitia accuratiore instructi melius divisere carcinomata. Sic Foerster tres potissimum carcinomatum species describit.

1. Carcinoma alveolare. Hoc quidem insigne est gelatinosis alveolorum contentis. Plana incisurae semper telam alveolarem prae se ferunt.

2. Scirrhus s. Carcinoma fibrosum. Hoc in genere praevalet stroma tumoresque sunt irregulares, nodosi, tumulosi, qui, si perscinduntur, stridorem quendam peculiarem edunt, et fibrosam vel steatomatosam speciem praebent. Serum autem carcinomatosum scaturit in guttis exiguis vel cylindris.

3. Carcinoma medullare s. encephaloides. Hoc in genere maxime valent cellulae. Hic tumor si persecatur,

substantiae cerebri saepenumero non dissimilis videtur et digitis compressus sero quodam lacteo completur,

Joh. Müller sex describit classes:

1. Carcinoma fibrosum s. simplex s. scirrhum.
2. Carcinoma reticulare.
3. Carcinoma alveolare.
4. Carcinoma medullare.
5. Carcinoma melanodes.
6. Carcinoma fasciculatum s. hyalinum.

Ex his rejicenda est peculiaris illa species, quam Müller Carcinoma reticulare nominavit, cum a Virchowio [1]) demonstratum sit, formam vel structuram reticularem solummodo evolutionis aut potuis involutionis quodam gradu in tela carcinomatosa effici. Accedunt vero Tumores epitheliales, de quibus hic non dicendum, atque Tumores osteoidei, quos re vera carcinomatis esse adnumerandos a Muellero [2]) ipso et a Gerlachio [3]) demonstratum est.

Enumerandae igitur videntur carcinomatis species septem:

1. Carcinoma epitheliale.
2. Carcinoma fibrosum s. Scirrhus.
3. Carcinoma fasciculatum.
4. Carcinoma osteoides.
5. Carcinoma medullare s. fungus medullaris.

---

1) Virchow, Archiv für pathologische Anatomie. Bd. 1.

2) Ueber ossificirende Schwämme oder Osteoid-Geschwülste. Im Archiv für Anatomie und Physiologie. 1843 p. 397.

3) Der Zottenkrebs und das Osteoid p. 1 — 32.

6. Carcinoma melanodes.
7. Carcinoma alveolore s. colloides.

§. 6.

Has carcinomatum species omnes describere longum videtur. Eligo igitur ex iis „**Fungum seu Carcinoma Medullare**" malum haud rarissimum, quod in nosocomio nostro saepius observavi. Tradam denique historiam morbi.

§. 7.

Fungum medullarum primus Burns [4]) descripsit. Wandrop et Hey [5]) eum nominant Fungum haematodem s. medullarem, Abernethy [6]) Medullary Sarcoma, Laennec Encephaloide, Monro Milt-tumor, Burns Spongioid inflammation, Joh. Müller Carcinoma medullare.

§. 8.

Fungus medullaris ita incipit, ut tumor quidam subrotundus aut planus, aut gibberosus videatur, qui vulgo nec durus est, nec dolet. Tumorem, fere semper arcte circumscriptum, interdum loco suo movere potes. Quo major tumor, eo minus moveri potest eoque celerius crescere solet. Hoc quidem tum mirificum in modum apparet, quum primum cutem usque ad hoc obstantem perforavit. Cutis enim, quae tumorem ipsum obtegit, initio integra, postea autem subfusca et fulva videtur, denique maculae subcaeruleae

---

4) Burns dissertions on inflammations 1800, Vol. 1. 2. Lond.
5) Practical observations on surgeri Lond. 1804.
6) Surgical observations. Lond. 1804.

et rubrae et diffusae gignuntur, quae ita inter sese cohaerent, ut tumor reticulatus appareat, in quo magis minusve cutis normalis prominet; eodem fere modo venarum propagatarum rete per tumorem diffusum est. Dum haec tali modo commutantur, tumoris singula loca magis magisque emolliri incipiunt jamque elastica ac satis ad speciem fluctuantia sensim elevantur, ceteris partibus statum pristinum et consistentiam obtinentibus. Tum cutis per haec loca attenuatur et temperatione crescente absumitur. Pars quoque maxime prominens saepenumero revera fluctuat tandemque dehiscit, quo facto plus minusve ichoris male olentis effluit. Si vero aër in fungum vim exercet, fere semper celerrime crescit atque ex loco aperto subalbae, subrubrae, molles, elasticae, sanguinem facillime emittentes excrescentiae excedere incipiunt. Quae excrescentiae eo loco, ubi egressae sunt, quasi coarctatae videntur et, ut nos dicimus „Blumenkohlartig“ magis magisque luxuriant et ichorem, qui jam peculiarem odorem putridum edit, secernunt et vel levissimo tactu vel sua sponte sanguinem fundunt. Interdum excrescentiae sphacelo corripiuntur ac deminuuntur, partibus sphacelosae materiae deinceps delapsis. Saepissime tum fit, ut, simulac fungus apertus est, dolores pungentes ac gravissimi aegrotum vexent. Saepius autem accidit, ut jam antehac dolor ex diversis caussis vehementissimus sit; contra vero per totum fungi decursum, si digito non prematur, dolor fere nunquam sentitur. — Emollitis singulis fungi partibus et fungo denique aperto glandulae proximae extumescunt ac massa carcinomatosa inficiuntur et implentur. Jam coenaesthesis aegroti maxime perturbata est, nam vires deminuuntur, macies

corporis apparet, color faciei peculiariter est luridus et pallidus, appetentia ciborum deest, pulsusque arteriarum acceleratus et tenuis et mollis videtur.

§. 9.

Omnium carcinomatum fungus medullaris est periculosissimus perniciosissimusque ea de caussa, quod ejus decursus prae aliis carcinomatis brevissimus est, quippe qui multis variisque in locis eodem tempore persaepe sese manifestat et erumpat, ita ut exstirpatione et amputatione non solum sanatio non efficiatur, sed reditus etiam fungi per interna organa haud raro celerrime concitetur. Auctores autem observarunt, fungos medullares, qui per longum tempus perdurarent neque ad perniciosum illud genus vergerent. Quin sunt, qui dicant, etiam fungos sanari posse natura. Sic Schuh affirmat et Rokitansky dicit, carcinomata medullaria in panniculo subcutaneo sita resorptione modo evanescere, modo redire. Atque quamquam ut jam diximus rarissime fit, ut fungus post exstirpationem et amputationem plane exstinguatur, tamen Stromeyer et Langenbeck nonnulla sanationis afferunt exempla.

§. 10.

Si spectamus ad sedem fungi medullaris, maxime invenimus in pulmonibus, in glandulis lymphaticis, in testibus, in renibus, in hepate, in liene, in utero, in pene, in mamma, in cerebro, in oculis, sed in omnibus corporis partibus progigni potest, interdum etiam in telis pathologicis obvenit velut in granulationibus, in sarcomate, in cystis; praeterea autem non raro conjunctus est cum aliis

neoplasmatis veluti cum sarcomate, enchondromate, tumore cystoide. Rarissime fungus medullaris in nervis est observatus.

Fungus medullaris morbus est juventutis aetatisque virilis. Quin etiam congenitum esse nonnulli auctores tradunt. Sunt etiam, qui dicant, homines illos, qui scrophulosi vel tuberculosi laborent, praecipue inclinare ad fungum medullarem. Schuh autem hanc sententiam, quamvis non paucos ejus auctores esse negari non possit, tamen ut plenam erroris prorsus rejicit. Ipse enim et Rokitansky per cadaverum dissectiones planissime demonstrasse putant, si quid carcinomatosi insit in homine, hunc nunquam tuberculosi corripi, sin autem tuberculosis esse coeperit, carcinoma prorsus non posse gigni; ipsa vero in organa, quorum tuberculosis haud raro esse solet, carcinoma medullare rarissime ingreditur; et si praeter carcinoma tuberculosis exstiterit, haec semper decrescit. — Sed novissimo tempore alii auctores tuberculosin cum fungo medullari non raro conjunctam satis demonstrarunt.

§. 11.

In symtomatis fungi med. dolores maximi momenti sunt, pungentes, urentes, intermittentes, ita ut modo subito prorumpant, modo subito recedant; saepe per totum thoracem, abdomen, extremitates, alias partes quasi pervolant. Interdum, ut jam diximus, ii deficiunt vel non insignes sunt. Signa fungo med. propria, ex quibus dignosci possis, sunt rarissima neque eorum vis satis illustrata. Jam ante quam pus se ostendit et tumor emollitur fluctuatio

sentitur. Rarissime fungi volumen per longius tempus idem manet, fere semper crescit et continuo crescit, quod symptoma maximi aestimandum est in diagnosi.

§. 12.

Restant quaedam de exitu fungi medullaris dicenda, qui aut ita fit, ut post exstirpatum tumorem fungus non redeat, aut tumor ipse naturae vi veluti processu sphaceloso sanetur, aut is est, ut viribus exhaustis mors consequatur. Longe frequentior autem infaustus exitus, quam faustus est.

Fungi caussas aetatem, constitutionem haereditariam, animi affectus esse verisimile est.

Contra fungum nulla vis medicamentorum. Laudavere medici Acidum hydrocyanatum, Cicutam, Belladonnam, herbam Aconiti, Arsenicum, Jodum, Hydrargyrum, Ferrum. Quid his aliisque, quae omisi, medicamentis internis effectum sit, nemo adhuc docuit. Remedia, quae topice in usum vocantur aut fungum dissipare aut absumere putantur.

Historia morbi.

Maria K. triginta tres annos nata usque ad ipsum hujus anni mensem Martem prospera valetudine usa est. Parentes et duo ipsius consanguinei, frater et soror, in vita sunt, nec valetudine affecti esse dicuntur. Quatuordecim annos nata prima menstrua vidit, a quibus, cum ab eo inde tempore bene semper respondissent, ineunte morbo, quo nunc laborat, primum defecta est. Hic vero ipsius morbus quomodo initium ceperit, sic fere exponit.

Ineunte mense Martio, quum ligneam quandam molem gelu terrae affixam tollere luctaretur, pectus ejus non sine vehementia percussum est. Qui ictus iter fecit a processu xiphoideo ad acromium scapulae. Hinc dolor ortus mediocris et fugax. Quum vero examinaret partes, rem, quam antea non animadverterat, invenit. Pars enim mammae

dextrae, quae margini sterni proxima, parvulum quasi glandularum tumorem in conspectum dedit. Attamen laesio quaedam vel totius mammae tumor non adfuit. Dolore acerbo paulo post sponte deminuto angustiae tantum et gravitas quaedam sentiebantur. Quinque diebus praeteritis denuo dolores exorti sunt fodientes, qui, ut ipsa aegrota affirmat, per transversum pectus eodem modo pertendebant, quo antea jam ligni ictus iverat. Simulque exstitit et partis ejus mammae color caeruleus vel pallor luridus et cutis in regione scapulari formicans et pruritus fossae axillaris, qui ad tempus vehemens adeoque vix ferendus esset. Tum angor pectoris auctus, respiratio accelerata fuit, pruritus vero haud multo post in dolores lancinantes et pungentes conversus est. Quibus doloribus, quum in numerum processissent, factum est, ut aegrota brachium quasi rigere sentiret.

Hoc vitium quum jam per triginta dies valde auctum esset, tunc primum medici auxilium aegrota petiit, et accepto linimento quodam ut videtur, saponato-camphorato partem perfricavit. Posthac per aliquod tempus cataplasmatis ex lino paratis usa est; ac postremo emplastrum, cui tinctura jodi addita, adhibuit. Praeterea medicina ei porrecta per longinquum tempus.

Ante sex dies et scapulae et fossae axillaris dolor, dum mamma eo vacat, adeo auctus, pungens et acutus fuit, ut aegrota spiritum ducere vix conaretur, ex gravissimis angustiis iterum atque iterum animo deficeretur nec, quum rursus post deliquium animus rediret, mentis compos ea quae vo-

lebat verba facere neque sonum distinctum edere posset. Intermisso nonnullarum horarum spatio vox rediit. Praeterea, quae jam enarravimus, aegrota se jam inde a pentecostes tempore noctes semper insomnes agere, somniare, et, alvo quotidie soluto, appetentia ciborum carere admodum queritur. Usque ad hunc ipsum diem dolores, de quibus supra diximus, non remisere, sed quodammodo adaucti sunt. Tum ipsa, ut in nosocomium nostrum chirurgicum reciperetur, petiit. Die quinto mensis Junii in nosocomium est recepta.

Status praesens.

Aegrota, cujus jam vultus ipse dolorem prodit, gravibus angustiis atque angore cruciata continuo agitatur; interrogata celerrime ac sollicite, sed consilii expers respondet. Color faciei pallidus. Macies corporis fere non adest. Calor valde auctus pariterque pulsus arteriarum concitatus et mollis est.

Quod ad singularia systemata corporis attinet, primum perturbationes tractus alimentarii adsunt, cujus rei indicium est et appetentia ciborum deficiens et lingua scabra te vehemens sitis.

Si organa thoracis perscrutari libet, percussa parte posteriore inferiore pulmonis dextri sonus infuscatus auditur, qui non solum in superiore parte ad acromium, sed etiam in sinistro latere acutior esse videtur.

Respiratio valde accelerata et brevissima ac sine ulla tussi vel anhelatione esse videtur. Exploratio thoracis tantum a dorso fieri potest, quia tumor mammae et immobile brachium dextrum, quominus exploratio ab anteriori parte instituatur, obstant. Hac in ipsa auscultatione nullus respirationis normalis sonus invenitur dextri pulmonis, cujus in inferiori parte fere nullus, in superiori vero acutior et respiratio bronchialis animadvertitur.

In systemate uropoëtico nil praeter naturalem statum invenitur.

Tumor mammae duos cicatricum contractiones telarum in conspectum dat, quarum altera per obliquum a processu xiphoideo sterni ad acromium patet, altera vero deorsum vertitur eodem modo, quo margo sterni. Tumor durus et nihilo minus fluctuans cum costis et musculis intercostalibus ita in unum coaluit, ut sola ipsius substantia moveri nullo modo possit. Configuratio tumoris valde irregularis ac protuberantiis insignis et gibberosa quasi circulus esse videtur, cujus diametrus sex pollicum sit. Color ejus flavus, vel lividus est et papilla, quamquam admodum deminuta, prominet. Glandulae axillares tumefactae non repeniuntur; attamen, quod aegrota dextrum brachium a thonace tollere non potest, id quidem exploratione facta eo videtur effici quod fibrae et crassum musculi pectoralis minoris et majoris et serrati antici majoris dolore ac distentione adstringuntur.

Hujus vitii, si ortum ac naturam quaeris, quia omnino causae ac processus, quibus tumores maligni gignan-

tur, non in compertis sunt, vis singularis vel diathesis universalis cancrosa ponenda est. Prorsus enim verisimile non est, (etiamsi aegrota affirmat, sese tumorem, antequam icta esset, non sensisse, deinde nescire, num antehac exstiterit), ut tumor ipse illius ictus vi brevi tempore procreatus sit; sed longe credibilius, antea jam eum exstitisse. Videtur autem vis illa perculiaris vel diathesis, quae eo usque minus valebat et minori agebat vigore, tum, facto per ictum impulsu, vehementer excitata esse, ac repente malum per totum organismum tulisse.

Neque praetereunda sunt ea, quae omnino ad procreandum carcinoma aliquid momenti habent, aetas adulta, pubertas superata, genus femininum, cujus nonnulla organa, mamma, uterus facillime carcinomate affici solent.

Haec omnia, quum maximi momenti aestimanda sint, quin res carcinosis sit, dubitari nequit. Quae tamen species ejusdem morbi sit strenue examinandum est. Notae, quibus id effici potest, hae sunt: Tumor diffusus, degenerationis pro illo brevissimo tempore ingens luxuries, singularis ejusdem fluctuatio, quae digito impresso animadvertitur, diffusi porro coloris, flavi, lividi, paene caerulei proprietas et mali sedes. Ex his indiciis concludi tantum potest, fungum adesse medullarem mammae dextrae.

Quae in thorace inveniuntur signa, haec in neglectum morbum conveniunt pectoris, ita ut ex pleuritide vel pleuropneumonia seri aliquantum pleurae saccos praecipue ad dextrum latus pulmonis impleat et permanet.

Prognosis. Cura. Diarium.

Prognosis fungi, quum jam carcinomatum in universum maxime infausta habeatur, propterea quod reditus mali semper timendus sit, hoc in casu pessima videtur, quum quia extirpatio totius materiae fungosae fieri nullo modo potest, tum quia alia praecipue interna organa carcinosi correpta esse gravissima suspicio adest.

Hanc ob causam cura instituta est leniens; medicamenta ergo porrecta sunt, quae symptomata morbi consopirent.

Postridie ejus diei, quo recepta est in nosocomium, sexto die mensis Junii, quae in statu praesenti enumerantur, eadem sunt.

Septimo die mens. Jun. aegrota semper inquieta fuit, insomniis cruciata, quamvis morphii acetici granum unum porrigeretur. Curatrix aegrotae eam multa verba fecisse multumque desipuisse perhibet. Ceteroquin nulla symptomatum commutatio.

Octavo die mens. Jun. matutino tempore obiit. Brevi ante, quam mortua est, remedium instanter petebat.

Visum repertum.

Post duodecim quam obierat horas, dissectio cadaveris est instituta. Cadaveris primus adspectus praeter mammae

degenerationem nullas res inusitatas praebuit, examine diligentissime facto, alii tumores molles fluctuantes fere magnitudinem nucis juglandis aequantes reperti sunt, partim in fossa axillari, partim circa marginem scapulae externam. Tumor mammae dextrae protuberantiis insignis pertinet a secunda cartilagine costarum usque ad corpus septimae costae, tum fere a sterni margine ad latus dorsale, ubi scapulae angulo inferiori et anteriori ejus margine finitur et usque ad fossam axillarem. Magnitudinem ergo diametri sex pollicum prae sese fert. Mamma vero discolor et livida duabus cicatricum contractionibus quasi divisa est, quarum altera eodem modo quo margo sterni dextra, a qua duos pollices abest, deorsum fertur, altera a processu xiphoideo ad fossam axillarem pertinet. Papilla aliquantulum prominet. Digito impresso tumor videtur durus et solidus, penitus quoque inferioribus partibus vel costarum vel musculorum innatus esse. Glandulae axillares tumefactae non reperiuntur. Si vero brachium ad caput tollere vis, vix potes, propterea quod musculi pectorales et musculus serratus anticus major breviores facti sunt ac scapula thoraci quasi affixa videtur. Cujus rei causam rigorem mortis non esse eo facile intelligitur, quod alterum brachium expedite moveri licet scapulaque versatilis est.

Cranii cavo aperto res prima quae miranda videtur dura mater laminae vitreae coalita est, cujus neque glandulae Pacchioni neque harum foveae in superficie interna ossis cranii apparent. Lamella ossis cranii externa ab interna quatuor „lineas“ abest. Nullae ibi vel excrescentiae vel degenerationes inveniuntur. Sed in sinibus durae matris,

praecipue in confluenti sinuum supra tentorium cerebri. nonnulli pseudopolypi nobis obvenerunt; ad hoc in sinistro cerebri hemisphaerio concrementum simile magnitudine fabae, atque in lobulo cerebri dextro media in substantia medullari degeneratio quaedam magnitudine morum aequiparans, subdura, colore fusco, quae fungosa esse microscopio statim cognoscitur, deprehensa sunt.

Aperto tunc cavo pectoris et abdominis e dextra thoracis parte seri flavi, lenti, cui cholestearini crystalla plurima admixta sunt, sex libras pondo invenimus. Universa hujus lateris superficies thoracis interna permultis, pisiformibus vel minoribus tumoribus fungosis obtecta est. Uterque pulmo fere totus cum thoracis pariete concrevit, dexter vero valde compressus est, ita ut ad quartam costam vix pertineat, verum tamen a processu fungoso correptus est. Sinister quoque pulmo satis fungosus apparet. Etiam pericardii per externam superficiem perque cor sinistrum albae depositiones fungosae grandi numero adspiciuntur. Fungus porro paene ubique obvenit, quum per totum diaphragma, tum per peritonaeum, tum per hepatis praecipue internas partes. Ren dexter degeneratione adiposa affectus est. Sinister vero, deinde lien, ventriculus, oesophagus, mesenterium, pancreas, intestina in universum nihil praeter naturalem statum praebent. Utrumque ovarium, et praecipue quidem sinistrum fungus penetrat. Fimbriae autem mirum in modum cystis quibusdam pisiformibus ac pellucidis ornatae sunt. Fibrae vel crassum musculorum pectoralium et serrati antici majoris et inter-

costalium degenerata sunt atque fibris jamjam ad degenerationem conversis plurimum fungi inest.

Fungus ab exteriori ad interiorem vel contra ab interiori ad exteriorem partem penetrasse non videtur. Degenerata mamma per medium divisa, nullum pus inventum est, verum enim vero substantia compacta et renitens est et plana incisurae, quae res hepar singulari modo ab magnitudinem planorum et incisionum perspici potest, substantiam fungi monstrant flavam et fulvum et substantiae albae cerebri similem. Vasorum denique multitudine praedita est.

VITA.

Volkmarus Bernhardus Trinius natus sum Reinsdorfii, pago quodam Saxo-Borussiae die XXIV. mens. Maj. ann. XXVII. huj. saecul. patre Carolo Bernhardo et matre Sophia, e gente Reil, quos adhuc superstites grato ac pio animo veneror. Confessioni evangelicae sum addictus. Primis litterarum elementis domi imbutus scholam Portensem, quam per quinque annos frequentari, tum Gymnasium adii Islebiense, quod adhuc auspiciis Directoris Dr's Ellendt maxime floret. Maturitatis testimonium tum rite consecutus tempori auctumnali anni MDCCCXLIX almam petii universitatem Halensem ibique ab Ill. Meyer, t. t. Prorectore Magnifico in numerum civium academicorum receptus sum atque apud Beat. Friedlaender gratiosi medicorum ordinis t. t. Decanum maxime spectabilem nomen professus. Quo ex tempore usque ad tempus vernum anni quinquagesimi secundi hujus saeculi hisce interfui scholis:

Ill. Erdmann: de logice et metaphysice.

Ill. Schaller: de psychiologia.

Ill. de Schlechtendal: de botanice; atque eundem secutus sum in excursionibus botanicis.

Ill. Burmeister: de zoologia, de historia naturali mammalium.

Ill. Schweigger: de physice experimentali.

Ill. Germar: de Mineralogia.

Beat. Steinberg: de chemica anorganica et organica, de venenis metallicis.

Beat. Friedlaender: de encyclopaedia et methodologia medicinae et medicinae historia.

Ill. Krahmer: de materia medica et de arte formulas medicas rite concinnandi; de pathologia et therapia speciali.

Ill. d'Alton: de anatomia cuncta corporis humani, de anatomia comparata, de histologia, de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. Volkmann: de physiologia, de physiologia systematis nervorum.

Exp. Moser: Interfui examinatorio de anatomia cuncta corporis humani.

Ill. de Baerensprung: de arte auscultandi et percutendi.

Ill. Blasius: de chirurgia quum generali, tum speciali, de fracturis et luxationibus, nec non interfui scholis chirurgicis et ophthalmiatricis.

Tum autem tempore paschali anni LII. huj. saecul. almam petii Gryphiam, ubi ab Ill. Matthies, t. t. Rectore Magnifico inter cives academicos receptus atque ab Ill. Haeser t. t. Decano maxime spectabili gratioso medicorum ordini sum adscriptus. Per tria semestria audivi disserentes:

Exp. Haeckermann: de medicina forensi et de politia medica.

Cel. Eichstedt: de morbis infantum, de exercitationibus obstetriciis in phantomate institutis. Idem mihi dux fuit in policlinico obstetricio.

Cel. Laurer: de arte fasciarum rite alligandarum.

Ill. Schulze: de anatomia pathologica.

Ill. Bardeleben: de oculorum morbis, de akiurgia, de herniis, nec minus eundem in exercitationibus operationum chirurgicarum et in clinico chirurgico et ophthalmiatrico ducem sum secutus.

Ill. Berndt: de pathologia, de therapia speciali, de arte obstetricia, de morbis puerperarum. Idem dux mihi fuit in clinico medico et obstetricio.

Omnibus praeceptoribus meis maxime colendis ac plurimum de me meritis pio gratoque animo gratias ago quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentaminibus quum philosophico tum medico atque examine rigoroso rite superatis spero fore, ut dissertatione thesibusque meis publice defensis, summi Medicinae, Chirurgiae, Artis obstetriciae in me conferantur honores.

THESES.

I.

Remedia lithontriptica nihil valent ad lithiasin sanandam.

II.

Hydrargyrus in morbis syphiliticis efficacissimum remedium.

III.

In pneumonia curanda venaesectio haud omnino repudianda.

IV.

Infantis versio in caput nunquam in obstetricatione est instituenda.

V.

Si nocturna Tibi noceat potatio vini,
Hoc Tu mane bibas, et medicamen erit.